OBSERVATIONES
ET
EMENDATIONES
ULTERIORES
IN
GUNNLAUGI VERMILINGVIS
ET
HRAFNIS POETÆ
VITAM

EX

ERUDITORUM QVORUNDAM IN ISLANDIA AMICORUM AD SE EPISTOLIS COLLECTÆ, ET MAXIMAM PARTEM EX ISLAND. LATINE VERSÆ

NUNC VERO EDITÆ

PER

JOHANNEM ERICI,
a Consil. Confer. & Biblioth. Regia.

HAVNIÆ 1786.
SUMPTIBUS *GYLDENDALII.*



PRÆFATIO.

Cum varii in Islandia amici, & in his *Gudlaugus Sveinis* f. Præpoſitus Iſafiordenſis, *Magnus Ketilli* toparcha Dalenſis, & *Gunnerus Pauli* Præpoſitus olim & Paſtor Hiardarholtenſis, ſuas in *Gunnlaugi Vermilingvis & Rafnis Poëtæ Vitam* a me olim editam obſervationes mihi ſubinde miſerint, inofficioſum viſum eſt eas ſeponere, atqve ita hunc eorum in me, meamqve hanc lucubrationem, affectum perfunctorie tractare, ſed conſultius multo, eas luci publicæ dare, tam ne oblivioni traditæ ſuo exciderent uſu, qvam ut hæc mea lucubratio eo limatior reddi poſſet. Hic igitur prædictas obſervationes tecum lector benevole communico, ut ad *curas poſteriores* in eundem librum, cum *epiſtola de ejus chronologia ad Finnum Johannæum* jam tum anno 1778 in 4to Havniæ editas, ſupplementi inſtar eſſe poſſint.

---

* * *

Dnus *Gudlaugus Sveinis* f. primum *errata typographica*, in ipſo opere non animadverſa vel annotata, his indicat.

In *Præfat. ad lect.* p. 11. not. lin. 28. domu l. *domus*; &
in *ipſo libro* p. 72. n. 51. l. 7. Holfus l. *Hrolſus*
p. 120. n. 82. l. 22. Thingmannicas l. *Thingamannicas*
p. 121. n. ead. l. 20. Thingmannis l. *Thingamannis*
p. 127. l. 3. murmus l. *murmur*
p. 133. n. 90. l. 5. topachia l. *toparchia*
p. 270. l. 2. Thingmannicas l. *Thingamannicas*
p. 303. l. 24. omnemin tra l. *omnem intra*; &
in *Ind. voc. Allvangr* lin. 6. unlverſalium l. *univerſalium*

Deinde ad pag. 81. ſubmonet, *braccas caligatas*, qvales ibi deſcribuntur, pueris in Islandia paſſim adhuc in uſu eſſe. *Háleiſtr* v. *háleſtr* etiam cujuscunqve caligæ pars infra talos, ſed *ſkóleiſtr* v. *ſkóleſtr* infra ſolum pedis audit. *Háleiſtr* per ſe etiam veſtimenti genus eſt, non ſupra talos pro tendens. Forſan a *les* veſtimentum laneum.

Ad pag. 134. n. 91. & p. 316. Geneal. 4. Difficile mihi intellectu eſt, *Torſium Valbrandi* filium, qvi tam ibi, qvam in *Hardarſaga* memoratur, eundem eſſe cum eo, cujus mentio fit in *Havardi Isſiordenſis Vita*, qvique huic, necem filii Olai Biarnyl ulturo, ſuppetias tulit, nam 1) *Valbrandus*, qvi Breidabolſtadis in Reykiadalo ſeptentrionali habitavit, patrem *Valthioſum*, avum vero *Aurlygum* habuit (*Hardarſ.* ed. Isl. p. 70. & *Landnamabóc* ed. Havn. p. 25. 27.); Valbrandus vero, Biargeyæ, Havardi uxoris, frater, Eyvindi (Önundi) Kne, & Thuridæ Rumgiltæ filius fuiſſe perhibetur (*Landn.* pag. 156.), ubi tamen Vallbrandus Hallgrimi pater appellatur. Contra *Havardi Vita* (ed. Isl. p. 46.) patrem Hallgrimi Asbrandum, Torfii vero Valbrandum appellat. 2) Ex *Landnamabóc* & *Hardarſaga* apparet, Valbrandum Valthiofi filium, ejusqve filium Torſium in auſtrali Islandia adoleviſſe, nempe primum Mödruvallis & poſt Breidabolſtadi in Reikiadalo ſeptentrionali; contra Valbrandus, pater Torfii Valbrandi filii, cujus mentionem *Havardi Vita* injicit, Valbrandſtadis habitavit, tumqve, ut & fratres ejus omnes, ætate multum provectus erat. Inde etiam apparet Biargeyam iter maritimum perbreve domo habuiſſe, ut fratres ſuos inviſere poſſet, qvamvis horum trium nomina nullæ jam villæ referant vel conſervaverint. Havardsſtadarum rudera, ſatis ingentia, in ora Snæfiallenſi (Snæfiallaſtrönd) media conſpiciuntur, & Valbrandsſtadæ villa fuiſſe putatur (hic in ora Langadalenſi, parochiæ meæ ſubjecta) qvæ hodie *Melgraseyre* audit; ibi & longa

illa

illa terræ lingula, qvæ p. 47. memoratur, & apertus in area, villæ subjecta, adh c ostenditur campus, ubi fratres prædicti foeno operati esse calceosqve induisse l. c. narrantur; qvam lingulam hac ex re nomen sortitam esse, & *Brædratungam* (qvasi fratrum lingulam dixeris) appellatum esse, rumore vulgi circumfertur. 3) Neqve mihi occurrit Torfium Valbrandi filium Breidabolstadensem cædium causa peregre profectum esse, qvemadmodum alter ille, de qvo *Havardi Vita* agit.

Ad pag. 269. *norræna* v. *nordræna* ventus borealis, sicut *austræna* australis; *vestræna*, *hafræna*, *landræna*, *utræna* (apud *Strömium* in *Sundmoriæ* descriptione *udrönne*) usu satis trita sunt. Doctiss. *Joh. Olavius* in Gloss. Syntagm. derivat *norræna* a *ræna*, & *ræna* iterum a *rád;* sed *norræna* v. boreas nonne etiam potest esse a verbo: *eg renn* curro, & *runa* cursito?

In *Indice* in voce Örkuml. *Kuml*, ut in Indice *Knistnisagæ* & Gloss. Syntagm. vocatur etiam qvaliscunqve acervus, ut *Heykuml*, foeni strues congesta, qvod hic in omnium ore versatur; & nonne *kymbill*, parvi momenti onus, hujus vocis *kuml* diminutivum erit?

In voce *Blódgagl* occurrebat, qvod in cantilena qvadam, nomine *Asnabálk* nuper vidi: *Sier á gagl hvar í garde er alit*, qvod in proverbio vulgari: *Sier á giæs*, *hvar* &c. forte a *gagr* distortus. Sed *gögler*, *göglerie* Isl. *geglei* v. *geigleri*, nonne potius devivandum a *geigr*, qvod vulgo usu venit: *at giöra einum geig*, timorem vel terrorem alicui injicere, vel certe pro cognato habendum. Animo etiam volvo an *blódgögl* forte vocari possent aves carnivoræ q. d. *blódug blódgaugl stódu í blódi of skaur*, aves sangvine aspersæ circa caput (cadaveris) steterunt, qvod vero absimile non videtur; seqvitur enim: Sárfíkinn hlaut sára sárgammr &c.

In voce *Hræskiarr* a verbo *skirra.* Nunc etiam vulgo usurpatur *eg skirrist vid at giöra þat*, animus hoc facere abhorret.

In voce *Jafnöki.* Dicitur etiam de hominibus v. jumentis pingvibus: þad er mikit *ok* á honum.

In voce *Kinn* ubi *cinnabar* & *kinnaber.* Etiam in Islandia usitatur *barkidlkadr*, *barnesiadr*, *baraxladr*, *maxillas*, *nasum*, *humeros* nudus &c.

* * *

Ad pag. *Gunnlaugs-Sagæ* 155. de lite illa qvæ a S. R. *Finno Johannæo* mihi mota est, de initio imperii *Olai Sancti* Norvegiæ Regis, Dn. *Magnus Ketilli*, in literis ad me, Cal. Mart. 1779 datis, ita suam aperuit mentem.

Hyeme proxime præterlapsa, *Laxdalensium historia* præeunte, aggressus sum examinare dissensum, qvi inter Dn. *Finnum Johannæum* & Te enatus est de anno initii imperii Olai Sancti, qvem Dn. *Johannæus* tam vehementer

menter propugnat, atqve in annum 1014 incidiſſe ſtatuit. Sed qvicqvid ea de re in medium protulit, nihilo tamen minus Tuæ adſtipulor ſententiæ, veteres noſtros hiſtoricos probæ autoritatis initium hocce ante 1015 non conſtituiſſe; *Sæmundus* enim ſacerdos *multiſcius*, cui Compendium Hiſtoriæ Norvegiæ, *Noregs Kongatal* dictum, tribui ſolet, ad proletarios ſcriptores vel triviales hiſtoricos, qvo nomine Dn. Epiſcopus p. 365-66 eos, qvi Olai Epocham ad 1015 referunt, compellat, rejici nunqvam poterit. *Sæmundus* vero conceptis verbis docet, Ericum Comitem XII, Sveinem vero & Hakonem II, & Olaum Sanctum XV annos in Norvegia imperaſſe. *Appendix Vitæ Olai Tryggvii filii* etiam inculcat, annum, qvem Ericus in Anglia egit, ex annis imperii ejus decimum tertium fuiſſe. Ipſe Dn. Epiſcopus etiam concedit, Olaum pro Rege agnitum non fuiſſe priusqvam Paſchatis tempore; tum vero æſtas jam cœperat; dies enim Paſchatis 1014 ex veteri ſtylo in 25 Aprilis incidit; ſed initium æſtatis tunc temporis multo prius, qvam nunc celebrabatur; æſtas ergo tunc die 15 April. coepit, ita ut Dominica illa Palmarum, qva Olaus pro Rege agnitus eſt, prima æſtatis dies dominica eſſet; unde ſeqvitur hyemem, qvæ tum præterlapſa erat, inter hyemes imperii Olaviani neqvaqvam computari poſſe, idqve eo minus, cum veteres omnes annos ſecundum hyemes numeraverint, annosqve, qvi hyemem ſimul non habuerunt, in ſuis calculis parum curaverint. Neqve ſane video, qvomodo Dn. Epiſcopus hæc ſublevare poterit, niſi ſimul admittat, *Olaum* Regem Tryggvii filium cecidiſſe, religionemqve chriſtianam in Islandiam introductam eſſe 999, qvod etiam ſemel mihi in mentem venit, vide etiam *Annal.* Island. inter Script. med. ævi *Langeb.* Tom. II, eaqve tamen diſſonantia, qvantum qvidem perſpicio, unice ex eo pendet, quo modo initium anni conſtituatur. Si enim ab æſtate incipiat, *Olaus* Tryggvii filius anno 1000 cecidit; idqve vero ſimilius mihi videtur *Arium* Sacerdotem *multiſcium* per *Alþydo-tal* ſ. calculum vulgarem intellexiſſe, qvam defectum æræ Dionyſianæ, ut *Buſſæus* in ſuis notis conjicit. Ad meam vero ſententiam proxime accedit, *Arium* Sacerdotem, per *Alþydo-tal* intellexiſſe veterem computum, qvi annum ab hyeme incipit. Etenim vulgus ſine omni dubio hanc computandi rationem ſatis diu retinuit, certe diutius, qvam eruditi, qvi, poſt chriſtiana ſacra introducta, annum ab æſtate auſpicabantur. Antiqvum illum computum *Snorrius* ſecutus eſſe mihi videtur in *Præfatione* ad *Heimskringlam*, dum annum Isleifi Epiſcopi emortualem his indicat: „*Sed cum Isleifus epiſcopus moreretur, propemodum* 80 *hyemes a cæde Olai Tryggvii filii elapſi erant.*" Isleifus 3 Cal. Julii deceſſit; adeoqve deſignanter & ſignificanter *Snorrius* dicit PROPEMODUM 80 hyemes, eundemqve annum, nempe 1080 Dn. *Finnus Johannæus* in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ponit. Porro, in eadem Præfatione *Snorrius* addit: „*Snorrius* (Pontifex Helgafellenſis) *prope-*

„*modum*

„modum triginta-qvinqve annos natus erat, cum religio christiana in Islandia „reciperetur.„ *Snorrius* vero Pontifex ethnicismi tempore natus erat, paucis noctibus post convivium qvoddam autumnale, i. e. initio hyemis, vel autumno, si hic separatim computetur; sed religio christiana publice recepta est ante mediam æstatem; (*Gisla-Saga Sursson.* collata cum *Eyrbyggia-Saga* cap. 14.) atqve ideo *Snorrius* dicit *propemodum*, qvia plusqvam qvarta pars anni ad 35 ætatis annos *Snorrii* Pontificis complendos tunc deerat; attandendum enim est circa hos duos computandi modos, qvod veteres, dum tempus, qvo res qvædam evenit, narrant, annum solummodo ponant, tempore anni, qvo evenerit, non indicato; ut vero longitudinem temporis vel seriem qvandam annorum enarrant vel determinant, talem annum, qvi hyemem simul non complectebatur, haud facile computarunt. Deinde observandum est, hos duos computandi modos, ubi de longitudine qvadam temporis sermo est, dimidio anno, æstate nempe, a se invicem sæpissime discrepare vel aberrare; antiqvus enim calculus annum, qvi hyemem habuit, computavit, novus vero annum, qvi exiguam tantum æstatis partem habuit, non computavit, & hunc computandi modum autor *vitæ Olai Sancti* secutus esse videtur, dicendo: „ *qvi calculos accurate subducunt, dicunt Regem Olaum Sanctum in Norvegia imperasse XV annos, ex qvo Sveinn Comes in exilium actus est, sed prius hyemali tempore regium nomen ab Uplandiæ incolis acceperat;* „ annum ergo ibi ab æstate incipit. Dnus Episcopus *Finnus Johannæus* T. I. p. 71. scribit: *anno* 1029 *ineunte e regno excessit.* Minime! non initio anni secundum *biographi ejus* computationem, qvippe qvi annum ab æstate auspicatur, sed hyeme; atqve ideo hic idem biographus annum 1029 inter annos imperii Olaviani numerat; tunc enim maxima anni pars, ex ejus hypothesi, elapsa erat; unde etiam addit: „oc hafdi hann þá verit kongr yfir Noregi xv vetr, NB. med þeim vetri, er þeir Sveinn voro bádir í landi. „ i. e. *& tunc XV annos in Norvegia imperaverat, si NB. ea hyems annumeretur, qva uterqve, ille & Sveinn, ibi adfuerunt;* „ pro rei enim veritate, & accurate, supputando, Olaus Rex 14 tantum hyemes in Norvegia imperavit, ita ut ibi sedem vere haberet, sed XV æstates; atqve adeo hic *hyemes* pro *annis* synecdochice non ponit. Contra vero *Sighvatus* sine omni dubio *hyemes* synecdochice pro *annis* ponit, eumqve ultimum numerat, qvem Olaus in Gardarikia egit. Erat Rex Olaus, cum prælio caderet, 35 annos natus, nam æstivo tempore natus erat, æstivoqve tompore cecidit. Verbo, qvocunqve modo hoc animo verso, aliud reperire non possum, qvam qvod annus 1015, primus imperii Olaviani annus emergat.

Qvando contra initium anni ab æqvinoctio autumnali computatur, (qvod antiqvissimum æqve ac rectissimum esse statui in *notis ad Epistolam Snorronis*, pluresqve hujus rei rationes post deprehendi) tum Olaus Tryggvi filius anno

no 999 cecidit, Olaus vero Sanctus anno 1013 imperium adeptus eſt, qvo poſito primus ejus imperii annus fuit 1014. Alteram illam computandi rationem cum religione chriſtiana introductam eſſe neceſſe eſt; idqve ex Codice Legum *Grágás* apparet, qvi computum anni ab initio æſtatis auſpicatur, qvod caput jam in *Jure Eccleſiaſtico* nuper edito, 45 factum eſt.

Qvid vero Dn. Epiſcopo reſpondendum ſit ad Chronologiam ejus in *Gunnlaugi Vitam*, nec non de manſione Erici Comitis in Norvegia poſt annum 1012, neſcio, qvamdiu hypotheſin chronologicam noſtratium ſeqvi lubet. Si vero hæc, uti tu *not.* 82. cum *Grammio* & *Suhmio* ſtatuis, falſo fundamento ſuperſtructa eſt, aliud eſſe non poteſt, qvam ut in eorum chronologiam confuſio erroresqve irrepſerint. Verum eo modo tanta perturbatio veteri noſtræ chronologiæ inducitur, ut vix decima ejus pars ordinem ſuum ſervet. Cetera mihi anceps admodum videtur, a veteribus recedere, qvatenus qværitur: qvamdiu unusqvisqve in Norvegia imperaverit, etiamſi forte, in initio & fine regiminis eorum ad verum annum æræ chriſtianæ referendis, errare potuerint.

* * *

Deniqve Dominus *Gunnerus Pauli* ad *Indicem vocum antiqvarum Gunnlaugs-Sagæ* hac analecta transmiſit, & qvidem.

1) Ad vocem *Ölſtafn* ſub *öl.* Mire conveniunt noſtrum *ölſtafn* (*Gunnlaugsſ.*) & Græcum *ϛαμνος*. *Stafn* eſt prora vel puppis, & qvidem potiſſimum prora. Per ſynecdochen dici potuit cymbium ſ. poculum naviforme *ſtafn* v. *ölſtafn*, nec minus poculum qvoddam ſolius proræ imaginem referre; & certe cymbula apud nos, qvæ puppi deſtituitur, dicitur *bitta*, qvod & hauſtri nautici, nec non vaſis v. poculi vocabulum olim fuiſſe deprehenditur, nec minus hodie in uſu *Lekabitta*, ſtillicidii excipulum. Ad *ölſtafn* facile ſe referri patitur nomen virile *Stefner*, ut illud pocillatorem vel convivatorem notet; qvemadmodum nec incommode huc referetur adjectivum *ſtefnlegr*, de utriusqve ſexus juventute præcipue uſurpari ſolitum, ſedato & compoſito gradu incedens, qvalem eorum, qvi aliis a poculis ſunt, eſſe oportet. Contrarium eſt *óſtefnlegr*, qvo eodem & modo ſe habent hinc ducta adverbia: *ſtefnlega*, óſtefnlega.

Hæc veriſimiliter oſtendunt, non ex ratione ſolum certa, ſed & ſecundum uſum, vocem prædictam ſuo carmini inſeruiſſe poëtam.

2) Ad vocem *Flaum.* Bene qvidem de hac voce (certe non abſurde) Index vocum; ſed venit nunc tandem in mentem, verbum at *flymta*, qvod ludibrio exponere (aliorum præſertim amores) ſignificat, vix aliunde, qvam a *flaum* deductum, ſaltem manifeſte cognatum; ut *flaum* hic carmen laſcivum ſ. amatorium notare videatur.